



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VII. Responsum Pontificis, vt Vicecomes Romam mittatur.
Propositum de mansione Decretum, & hac de re Lotharingi sententia.
Nouae significationes moderatae Regis Hispani ad suos Episcopos, ne ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

causâ efficientis, quod antea in medium protulerat Episcopus Hibernus, tamquam argumentum à Regina Britannia pro se adductum. 1562.

In ea loquendi ratione indistincta vim inesse significationis vniuersalis, adeoque ubi indiscriminatim de Episcopis pronuntiaretur eos esse à Christo institutos, id ex æquo intellectum iri, tum quod ad iurisdictionem, tum quod ad ordinationem attinet. Denique, maioris esse ponderis hanc affirmationem, eos esse institutos à Christo, quam illam, ipsos esse ex Iure Diuino, cum posterior interpretationem minus cogentem admittat. Quare, si in hac posteriori difficultas offerebatur, adeo ut Lotharingus ipse ab ea Patres dehortaretur, multo magis priorem esse vitandam.

Valde periculosam aleam subit, qui formam aliquam verborum profert ad conciliandas duas partes contrarias, acutas ac suspiciosas: quia contrariae sunt, fugit altera quod altera quaerit; quia acuta, singulae detegunt quae sequester inuoluit: quia suspiciosa, utraque quod sibi noxium est, deprehendit; cum eiusmodi verba nequeant dubia non esse, & suspicionis ingenium sit, dubium sibi malum tamquam certum assumere.

C A P V T VII.

Responsum Pontificis, ut Vicecomes Romam mittatur. Propositum de mansione Decretum, & hac de re Lotharingi sententia. Noua significationes moderata Regis Hispani ad suos Episcopos, ne Pontifex, neque Galli offenderentur.

EO grauius angebantur Praefides, quod animaduertebant, se ab ipsa praefectura subiectiores reddi quam ceteros: nam citari se, & quasi pungi ob quamlibet aliorum impudentiam sentiebant. Hinc in Concilio conclamabatur *libertas*. Hinc in eos fremebatur ad omnem vocem ab Episcopis immoderatus elapsam, perinde quasi linguarum omnium ipsi fræna tractarent. Itaque ex Hispanis Episcopis quinque^a melius erga Pontificem animati, neque coniuncti praefereudis suorum ciuium postulatis, & inter eos Salmanticensis, & Pattenensis, simul adiere Legatos, & ob contumelias in Guadicensem iactas contestati sunt; nisi prospiceretur in posterum, necesse sibi fore cum reliquis nationis suae se consociare ad eam ab huiusmodi insultationibus defendendam: si quis unquam Hispanorum vocem minus Catholicam promeret, optare se,

Pars III.

O o

vt is

^a Litera Legatorum ad Borromaeum, 6. Decemb. 1562.

1562. vt is corripere, sed ab auctoritate legitimi superioris, nimirum à Præsibus, non ab arrogantiâ priuati Præsulis; quemadmodum egerat Caselius, qui priore facinore non contentus, cum à Mantuano commoneretur de strepitu contumeliaque verborum, respondere non est veritus, ab Hispanis causam ad id non fuisse præbendam per enuntiationes hæreticas. Legati cognoscentes querimoniam æquam esse, & iacturam ingentem futuram, studuerunt amplis beneuolentiæ significationibus, plurimisque promissis eos delinire.

b Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 6. Decemb. 1562.

c Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6. Decembris 1562.

d Litteræ Borromæi ad Legatos, 2. Decemb. & ad Vicecomitem, 7. eiusdem, & litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 16. Decembris 1562.

e Litteræ Legatorum ad Borromæum, 10. Decembris 1562.

f Litteræ Borromæi ad Legatos, 2. Decembris 1562.

Ex altera parte Lotharingus vehementer^b questus est, quòd quidam ex Italis per indignum dicerium procaciter dixerat: *Ex Hispanica scabie decidimus in morbum Gallicum*. Sed Legati cupientes quoad possent honestè amaritiem Lotharingi diluere eâ dulcedine, cuius auidissimum illius palatum sciebant, Romam extemplò^c miserunt per certum cursorem formam duorum Canonum, quos ille proposuerat, dicentes, eam probari Theologis, sed non Canonum peritis, & petentes, vt ipsi Pontificis sensus diebus aliquot ante Sessionem exponeretur.

Interim peruenerunt Tridentum responsa de rebus antea significatis, ad eundem Lotharingum spectantibus^d. Alicuius Præsulis missio comprobata est, simulque Legatorum sententia in Vicecomite deligendo; rescribente Borromæo, cunctos, qui proponebantur, idoneos videri, & Marinus peritior, sed Vicecomes aptior ob iuentam ad sustinenda illius itineris incommoda per summam Italiæ & hiemis asperitatem. Quamobrem ille ad id destinatus est. Vbi Lotharingus scripto sua postulata^e tradidisset, hac de causa hic suorum omnium cœtum habuerat, & post diuturnum congressum datum fuit negotium quatuor Episcopis, vt simul cum Ferrerio ea notarent, quæ ab ipsis Galliæ salutis necessaria censerentur. Idemque Gualterio significarat, se, quod spectabat ad *Annatas*, annuos nimirum proventus, iam conquiescere; neque absque nouis mandatis ea de re verba facturum fuisse.

Ceterà^f, intellectis Romæ duobus modis, quorum auctor fuerat^g Lotharingus ad extinguendam super septimo Canone discordiam, alter, vt nimirum designarentur bini pro singulis nationibus, non placuit, quippe memorato iam periculo expositus: magis placebat alter illius discordiæ sopiendæ, quasi quodam sopore, qui in placidam honestamque mortem migraret; sicut vsuuenit, vt inter discrimina ac suspiciones nihil minùs displiceat, quàm ipsum nihil. Verùm improuisus transitus à tam concito motu ad quietem, hand possibilis visus est Legatis. Quare expectato responso quid Pontifex

fex de noua forma Canonum arbitraretur, cœperunt interim au-
 dire sententias in Decreto mansionis, à Mantuano sexto Nouem-
 bris iam proposito, vt dictum est; sed quibusdam adhibitis muta-
 tionibus, priuatim quæsitis ab eodem Lotharingo^g, aliisque, qui-
 bus nimis seuerum videbatur in pœnis denuntiandis, & nimis ar-
 ctum in excusationibus comprobandis. Et sanè incidit opportunè,
 vt huius rei tractatio induceretur, antequam perueniret epistola Lu-
 nenfis Comitiss^h, quâ calor omnis extinguebatur, opere à Rege prius
 adhibito Patribus Hispanis, vt illos ab incepto remoueret. Etenim
 Lunensis cum significaret Herculi Pagnano, se illuc Oratorem des-
 tinari, addebat, rescuissse Regem à Varga, Gallos cupientissimos
 esse huiusce declarationis, vnde periculum esse, ne, si ea impedire-
 tur, illi discederent; & quoniam Rex non nisi Diuinum obsequium
 spectabat, nolisset, vt opera sua Ecclesiæ concordie noceret, &
 continuationi, vel certè existimationi Concilij. Idcirco suam esse
 mentem, vt in eo cautè suauiterque ageretur cum Episcopis Regi
 addictis, & absque industria, aut nimis aperta, aut nimis propitia:
 atque in eandem sententiam loquebantur mandata à Rege tradita
 Aloysio Auilæⁱ, summo Alcantaræ Commendatori, destinato Ro-
 mam Oratori^k, quando Pontifex diu conquestus fuerat^l, negotia
 non aptè procedere, quia præcipuè in rebus Concilij Orator Ca-
 tholici Regis apud se non aderat, cui Pontifex fideret. Habebatur
 in mandatis, quæ diximus; Orator Pontificem cohortaretur, vt is
 in mansionis argumento maturè se gereret, adeoque ex vna parte li-
 bera facultas rei declarandæ Concilio non adimeretur; ex altera, Se-
 dis Apostolicæ auctoritas ac prærogatiua non læderetur. Itaque vis
 impressa à Regis brachio, tam valida speranda non erat, vt rotis il-
 lis tam feruidis cursum retardaret.

Facto igitur initio loquendi de memorato Decreto die deci-
 mæ Decembris^m, cum Lotharingus primus omnium verba faceret,
 egregio prudentiæ, grauitatis, doctrinæ atque eloquentiæ comple-
 xu effecit, vt præ sagirent Legati, multum illi auctoritatis in Synodo
 futurum non minus dictionis, quàm sanguinis excellentiâ. Eius
 sensa huiusmodi fuere: E sacris Litteris colligi, tria præcipuè
 mala fuisse profecta ab eorum absentia, quibus curam aliquam
 Deus demandarat; primum, maris tempestatem, cum Ionas fu-
 gam cœperat, ne concionaretur gentibus, ad quas mittebatur; al-
 terum, Idololatriam, cum absente Moysè vitulus conflatus est; ter-
 tium, ouile Christi dispersum, cum in capite decimo S. Ioannis
 habeatur: *Lupus dispergit oues.* Tria mala illis respondentia ex Præ-
 fulum

1562.

g Litteræ Vi-
 cecomitis &
 Legatorum
 ad Borrom.
 10. Decem-
 bris 1562.
 & arcanæ
 notæ Gual-
 terij ad Bor-
 rom. 9. De-
 cembri.
 h 21 Decem-
 bris 1562.

i Signata
 30 Nouem-
 bris 1562.
 k Destinatio
 Auilæ con-
 stat ex litte-
 ris Regis ad
 Pontificem,
 25. Octo-
 bris, missis
 ad Legatos
 cum litteris
 Borromæi
 2. Nouem-
 bris 1562.
 l Constat ex
 responsione
 Pontificis ad
 Regem,
 28 Martij
 1562.
 m Litteræ
 Legatorum
 ad Borrom.
 & Iadrensis
 ad Corne-
 lium, ambæ
 illo eodem
 die; & Acta
 Arcis Æliæ.

Historia
 Concilij Trid.
 Tit. III.

1562.

fulum absentia Ecclesiæ Dei accidisse. Calamitatem, tempestatem, Fidei corruptionem in hæresi, & gregis dissipationem in morum corruptelis. In ea causa Patres simul esse iudices, ac reos: adeoque eò magis imputandum ipsis esse, vbi remedium minus efficax ad-moueretur. Cùm ipse Christus Pastorem se profiteatur, nefas esse, vt Præsules pudeat vel huius nominis, vel huius muneris: in eo-dem capite decimo S. Ioannis tria numerari ad boni Pastoris mu-nus spectantia: ea sunt, ait ille, Vt oues nostram vocem audiant, Vt nos animas nostras pro ipsis ponamus, Vt benè illas pascamus, bo-nis pascuis inuentis. Ab re igitur non esse, si ad primum huius ar-gumenti ingressum doceret Synodus, quales essent boni Pastoris conditiones, quibus Pastores animarum possent de illa cura gloriari, de qua gloriatus est Iacob apud socerum^a, cùm post viginti annos pascendi eius gregis curam reliquit. Super illo mansionis articulo prius audiendos esse Theologos, & Canonum peritos, idemque peragendum in cunctis grauioribus emendationis capitibus. Man-sionem suã quidem sententiã esse ex Diuino mandato; ad quod probandum multa produxit Scripturæ testimonia, ingeniosis com-mentationibus à se illustrata: adiecit tamen, cùm esset mandatum affirmans, semper quidem obligare, sed non ad semper. Expendens excusationes legitimas, non satis habuit eas admittere quas Decre-tum probabat, sed plurimas alias addidit, potissimum verò maio-rem vtilitatem siue peculiaris Ecclesiæ, siue vniuersalis, siue Reipu-blicæ. Hanc postremam causam esse rationi consentaneam, quip-pe pertinentem ad charitatem; aliter non licuisset Imperij Septem-uiris Ecclesiasticis adire Comitia, Galliæ Optimatibus, vulgò Pa-ribus, ad Aulam pergere ad Regni negotia, prout obstringebantur, nec Episcopis ad Consilia à Rege vocatis, quod in grauissimum Ec-clesiæ detrimentum cessisset. Conclufit, quod spectabat ad pecu-liares conditiones, eas causas committendas esse Romani Pontificis arbitrio, & in regionibus longè positis, arbitrio Archiepiscoporum, aut antiquioris Episcopi, sicuti præscriptum fuerat in Decreto sub Paulo III. aut Conciliorum Prouincialium, quorum vsus resti-tuendus erat, & in ipsis, & in Diœcesanis hoc ipsum Decretum re-citandum. Sed ea omnia, quæ de causis dicta fuerant, ita esse in-telligenda, vt absentia nec perpetua sit, nec diuturna; ac proinde in comperto habeatur, habitationem Episcopi, tametsi ex re fortui-ta longinqui, esse stabilem in ipsius Ecclesia. Agens de tertia causa nuper memorata, dixit, Si Cardinales in Gallia mansionis vinculo prohiberentur degere apud Regem, eiusque Consilio interesse, rem Eccle-

^a Genes. 21.

Ecclesiasticam pessum iri. Delenda esse verba illa in Decreto posita, ubi comprobabatur, ad excusandam absentiam Episcoporum, vocatio Pontificia, *Dummodo ipsi non procurassent ut vocarentur*. Huiusmodi sono aures offendi: sed illius loco, Româ, & ex Aulis Regum eos Episcopos expellendos, qui proprij commodi gratiâ illic morabantur. Subiecit, multa sibi videri opportunè præscribenda de Sacerdotiorum collationibus, & de conditionibus non Episcoporum modò, sed minorum etiam Curionum; quæ res maioris erant momenti, quàm mansio: tamen ne thema propositum transgrederetur, in aliud tempus sermonem de iis differre. Differens de privilegijs, quæ residentibus Episcopis concedi oportebat, commemoravit inter ea facultatem absolventi etiam à delictis contentis in diplomate, quod *In Cena Domini* dicitur; contestatus, id à se non dici ad quidquam auctoritati Pontificiæ detrahendum; sed quia certus erat, eos qui huiusmodi peccata patrarent in Gallia, Romam neutiquam ituros ut absoluerentur: adeoque fatius esse, si absolutionem illic possent accipere, quàm si expertes illius morerentur.

o Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 10. Decembris 1562.

6 Nihil hîc laboris infumam in iis refellendis, quæ Suavis cunctis his euentibus immiscet ex coniectura mentis suæ, quæ perinde ac si planè fuisset mens vniuersalis ab Arabibus credita, audet fidenter enarrare cogitationem quamcumque in singulorum animis nascentem, intimos fines pro sua libidine interpretatus, tametsi minimè verisimiles operum externorum. Satis mihi sit, duo breuiter hîc obseruare: alterum, ab eo affirmari, Lotharingum ex arte tam ambigüè fuisse locutum de mansionis Decreto, ut eius sententia percipi non potuerit; quod liquidò falsum patet, cum ille, ubi primum ipsi Decretum priuatim expositum est, Legatis significauerit mutationes, quas maximè necessarias existimabat, sicuti narrauimus, & habetur in Legatorum, Vicecomitis, Gualterij, & Fusca-

p Suprà sunt allata. q 10 Decembris 1562.

7 Alterum est, eundem Lotharingum die 6. Decembris à conuentu abfuisse, quò liberum esset suis Gallis in Pontificis auctoritatem obloqui, quamuis excusaret absentiam ob acceptos nuntios de Antonij Regis occubitu. Et nihil animo reputabat Suavis, innotescere tudi cuipiam lectori, eam consuetudinem Iaponiæ aut Æthio-

Historia
Concilij Tridentini
Anno III.

1562. piæ propriam non esse, sed nostris regionibus communem; nimirum, ut si quis affinis magni nominis, supremusque Moderator illius regni, quod alter repræsentat, occubuerit, hic eo die quo nuntios accipit, à luce publica se abstinere, ac domi persistat? Neque comperio in tot monumentis, suspicionum ut assolet plenis, id cuiquam in mentem venire. Quin longè abest à vero, quemquam ex illis Episcopis eo die licenter in Pontificiam auctoritatem fuisse locutum. Aliàs id egerat solus Beauquerus, sed egerat coram Lotharingo, qui molestiam ex eo præ se tulit* (sicut etiam ex reliquorum Gallorum sermone, qui sententiam eius sententiæ contrariam dixerunt) cum genam semper manui innixam teneret, dum ille loquebatur, & postea Beauquerum nauiter obiurgaret. Nec licet credere, id ab illo simulatum ex arte, prout Suauis autumat; tum quia maiestatem huiusmodi Princeps non aded demisisset, cum certè ea simulatio aliquibus tunc detegenda esset, & re ipsa cunctis postmodum aperienda; tum quia nimis sanè illius æstimatio lædebatur, nimisque suæ gratiæ pretium eleuabatur, dum palàm ferret, ipsum maximum quidem esse, sed non rectorem suæ cohortis. Quare potius huiusmodi æstimationis sollicitus, cum audiret Guidum Ferrerium Antistitem Vercellensem, qui secum familiaritatem aliquam contraxerat, sibi dicentem, haud verum videri id quod ipse de suis Gallis prædixerat; Illos à se minimè dissensuros, respondit, tametsi quidam viderentur tunc à se verbis discordare; cum ad rem ventum esset, cunctos sibi assensuros. Vnusquisque existimationis suæ anxius est, nimirum ut sibi propria censeatur ea dos, cuius gratiâ ab aliis honoratur; hæc autem in Principibus præcipuè potentia est.

* Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 6. Decembris 1562.
f Arcanæ notæ Gualterij ad Borromæum, 9. Decembris, 1562.

† Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 17. Decembris, 1562.

CAPVT VIII.

Opinamenta de mansionis Decreto. Sensus Pontificis. Querimonia Lotharingi. Maturata Vicecomitis missio. Noua prorogatio Sessionis, & quâ formâ.

SEd reuera suæ quisque mentis ductum sequebatur; atque hinc erat quod non minor à Patribus prolixitas adhibebatur in dicendis de nouo mansionis Decreto sententiis, quam usurpata fuerat super Episcoporum institutione: vnusquisque hanc dicendi longitudinem in alius vituperabat; sed vnusquisque eam in sua sententia retinebat. Cuncti vociferabantur, superuacanea esse præc-

denda;